DE SCROFULA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ET...

Alfonso Ruelle

DE

SCROFULA

DISSERTATIO INAUGURALIS.

De Scrofula

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. JOSEPHO MORETTI

Botanices Prof. Ord.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Septemb. anno 1843.

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

RUELLE ALPHONSUS

MEDIOLANENSIS.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

ALL' OTTIMO PADRE

IN SEGNO

DI GRATITUDINE E D' AMORE

QUESTO TENUE FRUTTO

DE' SUOI STUDJ

IL FIGLIO RICONOSCENTE

DEDICAVA

DE SCROFULA.

§. I.

Sub hocce nomine venit ille morbus chronicus, aetatem in primis teneram infestans, in quo ob statum abnormem organorum digestionis, chylificationis, adsimilationis, totius reproductionis, et praesertim reassimilationis munus patitur, idest adfectio systematis lymphatici; atque in morbo evoluto conditiones abnormes organorum quae ad totam reproductionem inserviunt, exsurgunt, atque transeunt in chronicam inflammationem, et foedam exulcerationem. Morbus ille igitur specialis, qui ad systema lymphaticum pertinet, diu perdurat, ac pedetentim

transit in chronicam inflammationem sui generis, atque postremo abit in foedam exulcerationem, dicitur *scrofula.*

Jam antiquis medicis hic morbus notus erat, atque ab Hippocrate descriptus fuit sub nomine *χοιριδιον*, vel *χοιρον*, quod indicat *sus*: neque aliter exprimit vox Latina *scrofa*, quia in porcis observantur tumores duri, similes tumoribus cervicalibus, qui hocce in morbo observantur. Vocatur quoque struma, quod nomen angli scriptores, et ipse Clarissimus *Petrus Frank* adoptarunt; hoc vero nomen indicat tumorem glandulae thyroideae, et scrofula tumorem glandularum lymphaticarum indicat; et quamvis tumor thyroideae, seu struma, summam cum scrofula adfinitatem habeat, et cum hocce morbo frequenter occurrat, nihilo minus cum scrofula confundi non debet.

Non omnes tumores glandularum lymphaticarum sunt naturae scrofulosae; sed per causas diversas produci queunt, uti per refrigerium, per diversas irritationes, per compressionem, fracturas, luxationes, variolarum insitionem, glandulae axillares tument. Ita pariter in erysipelate cruris, tument glandulae inguinales, in erysipelate faciei, nec non in dentitione intumescunt glandulae

colli; difficilius tumidae evadunt glandulae cervicales; inflantur quoque per haemorrhagias suppressas habituales, uti catameniorum, in typho contagioso europeo; saepe in peste orientali comparent tumores glandulares, ad axillas, cervicem, inguina. Isti tumores glandulares vero a tumoribus scrofulosis, semper per attentam observationem distingui possunt: quare attentio dirigi debet ad evolutionem omnium symptomatum, nec non ad individui dispositionem.

§. II.

Si attentio ad complexum phoenomenorum, et ad praedispositionem subjecti convertitur, duo stadia in hocce morbo distingui possunt; antea sola dispositio adest, atque dicitur habitus scrofulosus, ab *Hufeland* vocatur morbus scrofulosus latens et occultus: manifestatur in aetate teneriori, sub dentitione incipiente, non raro tardius in aetate puerili, atque ad mentem nonnullorum auctorum saepius adparet in aetate puerili, quam infantili: interdum etiam erumpit in adolescentia, pubertate incipiente. Neque inutile est agnoscere, in quanam aetate dispositio haec ad scrofulam incipit, nam ju-

dicium pronosticum ab hacce cognitione multum pendet. Evolutio hujusce habitus, nunc citius , nunc tardius accidit ob intensionem dispositionis congenitae, et propter influxum potentiarum nocentium, quibus infans, puer, aut adolescens expositus est.

Habitus scrofulosus plerumque manifestatur per temperamentum sanguineum , constitutionem corporis gracilem , cutim teneneram, genas roseo colore circumscripto notatas, capillos albidos vel flavos, oculos prominentes , iride ceruleo colore tinctam , caput relative magnum , collum longum et parvum, in aliquibus vero magnum est propter intumescentiam glandularum lymphaticarum et thyroideae, membra gracilia, quod si interdum talia non videantur, caro tactui mollis est et pastacea.

Hocce habitu praesente , incommoda diversa evolvuntur ; infantes dum lac avide sumunt , facile illud rejiciunt , odoremque acidum spargit ; doloribus intestinalibus laborant , saepe alvus irregularis est , nunc obstipa , nunc diarrhoica , atque in excrementis lac copiosum , coagulatum, caseosum, viridescens ; invenitur , acidumque odorem spirant : labium superius incrassatum , pinnae nasi dilatatae sunt, in cute efflorescen-

tiae adparent, uti tinea; oritur pruritus molestus in cute, atque ad partem majorem extenditur inflammatio, ita in glandulis meibonianis, in palpebris, quare ophtalmiae chronicae insurgunt: non raro inflammationes chronicae tracheae, bronchiorum, meati auditorii externi, tubi intestinalis, et caeterae psorottalmiae, aphtes, otirrhoeae, blenorrhoeae diversae, omnes indolis scrofulosae evolvuntur.

Ossificatio, et corporis perfectio retardata est, fontanellae apertae remanent, etiam post annum; ideoque tales infantes tardius insistunt, tardius ambulant, neque tamen partes omnes in sua evolutione impeditae sunt, habentur nonnulli infantes, in quibus quamquam morbus evolutus sit, nihilotamen systema nervosum et cerebrum perfecte evolvuntur; facultates intellectuales cito explicantur, infantes citius loquuntur; interdum quoque organa genitalia stimulum in venerem experiuntur citius; quare scrofulosi saepe onanismo dediti sunt.

Interdum etiam in scrofula sporadica, sed frequentius in epidemica, evolutio cerebri ita imperfecta est, ut pueri stupidi semper maneant. Ab enumeratis symptomatibus, concludere tamen possumus ad praesentiam dia-

thesis scrofulosae; nec semper dein accidit plena evolutio morbi; non raro enim si infantes sub circumstantiis faventibus sunt, et si therapia rationalis adhibetur, diathesis scrofulosa debellatur; quod si non contingit, perfecte morbus evolvitur, id quod saepius accidit sub dentitione, in adolescentia, incipiente pubertate, in juvenibus, et etiam quamvis raro in aetate virili.

Quotiescumque morbus evolutus est, tunc glandulae lymphaticae tument, ad unum vel quoque utrumque latus colli, atque tumores volumen acquirunt ab illo pisi, ad illud nucis avellanae, vel etiam juglandis; ab initio molles sunt, cuti concolores, indolentes, atque talem indolentiam servant per menses et annos; interdum circumstantiis faventibus, illi tumores una cum diathesi scrofulosa disparent; sub adversis circumstantiis vero, persistunt, dolent, magis intumescunt, et saepe inflammatio in ipsis evolvitur.

Tumores illi cum cute et partibus vicinis adhaerent, atque in unum tumorem racemosum cohalescunt, uti praesertim observari potest ad latera colli; aliquando ab eorum praesentia in collo, vasa majora comprimuntur, circulatio impeditur, motus etiam muscularis difficile redditur, ita ut collum fer-

me immobile videatur; non raro quoque respirationem, et deglutitionem difficilem inducunt, si profundiores sunt.

Majores molestias isti tumores producunt, dum inflammantur; phlogosis haec chronica est, non persentitur dolor intensus, ac in suppurationem transit; pus vero spissum est, alias tenue, sanguine mixtum, aliquando ichorosum, atque foedae cicatrices deinde remanent. Dein tumores scrofulosi minime restringuntur ad collum, sed quamvis rarius, etiam ad regiones axillares, inguinales, verum quoque ad alias partes extenduntur, et morbum universalem constituit, ita ut in tota superficie corporis adpareant tumores glandularum lymphaticarum, ac vasa lymphatica ita quoque tument, ut eorum decursus ab uno tumore ad alterum adpareat; tunc vocantur scrofulae externae, ut distinguantur ab internis, quae in cavo abdominis, in mesenterio, etc. evolvuntur.

Ob hanc glandularum intumescentiam, functiones viscerum abdominalium turbantur; ita aliquando ciborum appetitus imminutus est, alias vero major, ut in pueris voracitas adpareat: digestio vero et chylificatio impedita sunt, unde emaciatio corporis, alvus modo obstipa est, modo

diarrhoica, urinae parcae lacteae; atque ob hepatis adfectionem et pancreatis, bilis humorisque pancreatici secretio uberior est.

Sed isti tumores scrofulosi non tantum in abdomine, verum quoque in thorace observantur; ita quoque in mediastino anteriori, aut posteriori, propter quos viscerum functiones laeduntur, et habetur tussis, asthma, metus suffucationis, respiratio strepens, dispositio ad bronchitides et pneumonitides, non raro etiam ad phthisim. Dein scrofula in cavo cranii producit haemicraniam spasmodicam, inflammationem in meningibus, potissimum in aracnoidea, quae facillime transit in hydrocephalum; haec omnia in tenellis infantibus.

§. III.

Ut indolem individualem morbi agnoscere possimus, momenta quoque pathogenetica investiganda sunt. Non raro dispositio ad scrofulam est congenita, quia parentes scrofula laborant, vel si parentes scrofulosi non erant, tamen debiles, senes, viribus enervatis per syphilidem, per curas mercuriales diuturnas, per veneris abusum, quae causae morbum scrofulosum infanti communicare possunt.

Dum mater gravida morbis gravioribus subjecta fuit, uti animi pathematibus, moerori, tristitiae, per quas causas reproductio organica imminuitur, et diathesis scrofulosa in neonato evolvitur. Aliquando in infante nulla signa diathesis scrofulosae adsunt, sed evolvuntur postea per causas, quae ab exordio diathesim seu dispositionem producunt, dein morbum perfecte evolutum; quare antea causae illae disponentes evadunt dein excitantes; hae causae sunt:

1. Cibum infanti maxime congruum est lac maternum, et observatio docuit, quod scrofulae rarius obnoxii sunt infantes, qui ubera matris sugunt: aliquando e contra a nutrice scrofulosa suam depromit originem; lac enim nutricis, saepe illis requisitis destituitur, ut infanti conveniat, neque a ventriculo debili facile digeritur, quare irritationem producit, et digestio turbatur. Morbus de quo loquimur quoque producitur, si nutrix haemorregia, syphilide, scrofula, fluore albo copioso laborat; ita quoque si nutrix copulam nimis concupescit.

Scrofula etiam facile ingeneratur in infantibus, qui lac alterius animalis, aut aliis cibis nutriuntur, quod semper vero non accidit; ita ob defectum lactis materni, aut

nutricis sanae diathesis scrofulosa inducitur, atque dein morbus evolvitur. Cibi duri, pingues, acres, nimis aromatici, potus stimulantes vinosi, vel etiam defectus alimentorum, pharmaca non indicata, aut nimia dosi propinata, purgantia diutius adhibita, mercurialia, opiata, nimis frequenter et nimia dosi porrecta morbum ingenerant.

2. Aër corruptus, humidus, exalationibus variis impregnatus, haud parum confert ad scrofulam ingenerandam: ita in urbibus populosis, ubi sunt edificia alta, et plateae angustae, et aër stagnans retinetur, in regionibus paludosis, in profundis vallibus scrofula frequenter occurrit; in regionibus montuosis ac planitie, minus frequens. Aër corruptus per homines aut animalia, in eodem cubile degentia, per excrementa, per vestimenta, quae in eodem cubile siccantur, per neglectam munditiem, quare per hanc non solum cutis immunda est, sed reproductio in toto corpore laeditur, et si adest dispositio in scrofulam maxime exaltatur.

3. Motus corporis impeditus: quum infantes ad vitam sedentariam damnati sunt, uti in scholis, per hanc causam genesis scrofulosa promovetur; per adstrictionem praematuram mentis ad studia diversa, nam or-

gana digestionis facile impediuntur in sua functione.

4. Febres tam intermittentes, quam continuae, interdum quoque inflammationes: copiosa profluvia, dysenteriae, diarrhoeae, impetigines imperfecte evolutae, exanthemata de repente evanita, uti variolae, morbilli.

Symptomatibus omnibus perpensis, tantum effectus morbi agnoscere possumus, omnem scilicet processum reproductivum aberrare, lympham mutari, corpus emaciari, secretiones abnormes fieri; quae symptomata interdum cum inflammatione indolis peculiaris, aliquando vero cum debilitate et laxitate partium, pro diversa aegrotantis constitutione adsociantur.

§. IV.

Morbus scrofulosus diversam prognosim, pró vario aegritudinis gradu, aetate, atque individui constitutione admittit. Si dispositio congenita non adest, et per influxum potentiarum nocentium, nondum inveterata est, feliciter sanatur. Interdum causis amotis, in aetate puerili et infantili, incipiente pubertate, per solas naturae vires, vita exaltatur, atque morbus disparet.

Sed aliquando in utroque sexu scrofula latens, in adolescentia manifestatur, quod mali ominis est, nam indicat scrofulam in visceribus internis incipere. Non tantum per tumores cervicales forma corporis alteratur, sed etiam oriuntur uti jam dixi diversae inflammationes chronicae, quae characterem peculiarem scrofulosum habent, uti in faucibus, pulmonibus, larynge, bronchiis, et aliis visceribus, quae nonnisi raro resolvuntur, sed in suppurationem, et hinc in phthises diversas transeunt.

Per inflammationem chronicam, et repetitam membranarnm serosarum, magna dispositio animadvertitur ad hydropes; ita hydrocephalus frequentior evadit in infantibus scrofulosis. Ossa quoque phlogosi chronica corripiuntur, dolentia fiunt, atque in diversas degenerationes, in ipsam cariem transeunt; non solum dentes cariosi fiunt, sed caries etiam in ossibus potissimum extremitatum manifestatur.

Quando morbus valde evolutus est, habitus fit cachecticus, miserrimus, emaciatio continuo increscit, vires labuntur, tandemque symptomata evolvuntur febris hecticae, ac aeger extinguitur. Quum dispositio congenita est, atque in primis mensibus mani-

festatur, quamvis therapia rationalis statim adhibeatur, tamen prognosis infausta esse debet, nam in primis mensibus aut sub dentitione, infans enecatur.

Si scrofula complicatur cum scorbuto, syphilide, rachitide, prognosis quoque infausta esse debet; exitus hic funestus accidit si therapia rationalis illico non usurpatur; quod si statim in usum vocatur, saepe saepius scrofula sanatur. Morbus porro ad exitum funestum ruit ob circumstantias minime faventes, atque ob incongruum vitae regimen.

V.

Dum curam scrofulae incohare volumus, considerandum est, ne scrofulae sint spuriae, quae pro diversis causis, diversimode curantur; vel sint scrofulae genuinae; vel aliis morbis gravioribus complicatae, uti impetiginibus acutis, febri graviore, nevrosi aliqua, profluvio copioso; quarum cura, tunc statim suscipienda est; sive agitur de scrofula simplici, aut morbis fere nullius momenti complicata, tunc cura antiscrofulosa inchoanda est.

Quum causa proxima hujusce morbi sistat, in peculiari statu abnormi organorum

reproductionis, interdum cum hypercinesia, alias cum debilitate partium; ita pro diversitate causae, varia auxilia suppeditanda erunt. In primis causas amovere oportet, et maxima attentio habenda est ad vitae regimen; cibi chylificationi, et digestioni convenientes adhibendi sunt; atque in infantibus quotiescumque fieri potest, lacte materno nutriri debent; defectus hujus lactis, aut nutricis sanae scrofulam non raro ingenerat; ideo plerumque per lac nutricis sanae infantes sanitatem recuperarunt. Ubi hoc deficiat, adhiberi potest lac alterius animalis sani; in primis lac asininum quod humano maxime accedit, principio saccharino scatet, et virtus salutaris hujusce probata est prae aliis lactis speciebus: dein venit caprinum, et vaccinum, sed curandum est ut ab eadem vacca semper desumatur, nam si lac a diversis desumitur, ventriculum interdum ita afficit, ut tormina et irritationem producat.

Alia alimenta quoque valde juvant; ita juscula carnium cum oryza, aut hordeo decorticato, aut pane biscocto, fructus maturi, olea, radices dulces, sed semper quantitate moderata. Parentes quoque admonendi sunt ne infantes solis alimentis vegetabili-

bus alent, nam tunc chilus debilis, tenuis paratur, pro oeconomia animali restauranda parum idoneus.

A morbi initio et in quocumque casu, potus aquosi suppeditandi sunt, aqua pura et simplex; dum debilitas organorum digestionis et chylificationis adest, augetur emaciatio, ac vires labuntur, tunc potus incitantes quoque concedi possunt, potissimum aqua cum vino: potus tepidi minime conveniunt, quia debilitatem adaugent, ac saburrae generationi favent.

Valde convenit quoque decoctum glandum quercus tostarum, ac bis in die adhibetur. In ulteriore morbi progressu usurpatur decoctum paratum cum pulvere glandum tostarum lib. j. et pulveris cinchonae flavae dr. ÷ ad j; sed nontantum in ulteriore scrofulae progressu convenit; ast bene ducit etiam quando vires infractae sunt, et emaciatio magna animadvertitur.

Aër purus et siccus sit, atque sedulo arcenda sunt omnia quae aërem corrumpere possunt; infantes tenendi sunt in cubiculo sicco; mundities diligenter servanda est, nec excrementa relinqui, neque vestimenta in eo siccari debent; ventilatio nunquam intermittenda est. In urbibus populosis aër pu-

rus servari haud potest, propterea infantes in aëre libero et sicco ducendi sunt, cujus efficaciam in sananda, scrofula, quotidiana experientia comprobat. Motus passivus, equo, curro, vel navibus valde juvat, quia per hunc energiam languentem vitae excitatur; motus activus, exercitationes gymnasticae, ascensio velox scalarum et montium, exercitia militaria, natatio in fluviis perutiles sunt.

Cura munditiei nunquam negligenda est, neque infantes in sordibus relinquendi sunt, aqua tepida abluendi, aut in balneo tepido imponendi; balneum tepidum ad minimum semel in hebdomada adhibendum est. Porro valde confert educatio non solum physica, sed moralis, quae bona esse debet, nam per malam educationem inclinatio oritur ad animi pathemata, iram, odium, quae si observantur prudenter successive compesci debent. Pueri praetermittere debent studia, atque in objectis gratis occupari, scholas mutari, ac per talem mutationem physicam et psychicam, aliquando sanitas obtinetur. Hufeland commendat ut talis cura inchoetur vernali tempore, dum natura omnis in majore vitalitate est.

Dum vero auxilia diaetetica per se sola

non sufficiunt, therapeutica quoque auxilia adhibenda sunt. Ab exordio emeticum usurpatur, ut saburra evacuetur, atque irritatio antagonistica sustineatur, ac tartarum stibiatum porrigimus, nisi diarrhoea adsit, quo in casu confugitur ad ipecacuanham; nam scrofula uti dictum est diarrhoea frequenter comitatur.

Ubi signa saburrae in intestinis adsint; tunc convenit usus purgantium, neque purgantia salina adhibenda erunt; quae debilitatem magnam inducunt, sed rabarbarina, atque tenellibus infantibus rheum in pulvere exhibetur, varia dosi, pro diversa aetate et constitutione.

Sed evacuantium usus diu continuandus non est, quamquam symptomata saburrae persistant; lingua impura, alitus oris foetens abdominis tumiditas, non a saburra sed a statu eretistico organorum digestionis et chylificationis sustinetur, qui per purgantia augetur. Si defendere nequimus scrofulum consistere in inflammatione chronica glandularum lymphaticarum; tamen conditio pathologica peculiaris, quae in membrana mucosa praecipue intestinorum advertitur inficiari non potest; quae conditio quoque ad alias partes extenditur.

Propterea remedia emollientia indicata sunt, quod si haec per se non sufficiunt, quoque sanguinis evacuationes convenire possunt, caute tamen adhibitae, etenim per sanguinis jacturam copiosam scrofula generalis augetur. Interdum morbi conditio pathologica phlogistica non est, atque evolvuntur symptomata saburrae acidae in intestinis: in casu hujusmodi magna cum utilitate usurpantur alcalina, quibus a nonnullis virtus specifica contra scrofulam tribuitur; sed ea non gaudent, atque tantum ab initio morbi proficua sunt haec remedia uti carbonas magnesiae, potassae, bicarbonas sodae, quae varia dosi, atque ad diversa intervalla suppeditantur, pro aegrotantis aetate, et constitutione.

Laudatur quoque aqua calcis cum lacte; spongia marina usta, sed apud nos haec remedia in usum haud veniunt. Quod alcalina specifica virtute contra, scrofulam minime gaudeant, facile comprobatur, si perpendimus interdum acida remedia convenire; ita in morbi progressu si calor, rubor adparent, nec non symptomata adauctae systematis sanguiferi energiae, atque inflammatio ac suppuratio in glandulis lymphaticis evolvitur, tunc valde juvant acida ve-

getabilia vel mineralia, et potissimum elixir acidium Halleri, quod ab aliquibus maxime laudatur.

In curandis scrofulis adultorum praeter acida usurpantur quoque aquae naturales, quae huc et illuc scaturiunt, atque acido carbonico non solum, sed quoque principiis salinis, et alcalinis scatent. Insuper juvant aquae termales interne aut externe sub balnei forma adhibitae, in quibus praesertim abundant alcalina et sulfur.

Dein commendantur antimonialia, antimonium crudum, tartarus emeticus, sulfur auratum antimonii, kermes mineralis, et potissimum haetiops antimonialis. Praeterea mercurialia blandiora, nec non fortiora; sed semper a mitioribus incipiendum erit, proinde suppeditatur mercurius gummosus Plenkii, mercurius saccharatus, mercurius solubilis Hanhemanni, calomel.

Alia remedia quoque habentur, quibus virtus specifica contra scrofulam tribuitur, scilicet murias baritis, quod ab Huffeland summis laudibus extollitur, incipiendo a dosibus minoribus a gr. ij, et dein pedetentim adscendendo ad xx, et xxx grana: sed pauci sunt qui hasce doses sine incommodis ferre valent. Propinatur etiam murias

calcis ; hodierno autem aevo valde laudata fuerunt praeparata jodii tam interne quam externe adhibita. Nihilosecius quacumque methodo tractetur, scrofulae vix, et ne vix quidem sanatio obtinetur, nisi concurrant remedia faventia, quae ad regimen diaeteticum pertinent.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Atmospherae salubritatem, corporisque exercitia ad scrofulae curationem plurimum conferre.

II.

Medici uni theoriae addicti, a praxi arcendi essent.

III.

Spiritus vini camphorati praeparatio absurda.

IV.

In tabe dorsali prae remediis pharmaceuticis et nutrimentis, curam psychicam proficere.

V.

Bilis est humor non tantum excrementitius, verum etiam digestioni favens.

VI.

Hypochondriaci leves morbos adaugent, et saepe ex nihilo tumulum aedificant.

VII.

Suicidium fere semper morbi symptoma.

VIII.

Medicaminum formulas nimis compositas aut ignorantia, aut dolo peccare.

IX.

Vitia cordis organica valde frequentem apoplexiae et maniae causam.